



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

De modo, quo Christus vsus est Eucharistia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

tur, *Nisi manducaueritis, vel biberitis sanguinem, vel vt sensus sit, si neqno manducaueritis carnem, neque biberitis sanguinem filij hominis &c.* Ideoque Christus protinus addidit: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, significans sufficere, vt sumatur sub altera tantum specie.

Respondent tertio præceptum sumendi sub vtraque specie imponi quidem toti ecclesiæ, sed ita, vt non obliget singulos, sed solos sacerdotes, eo pacto, quo dum Gen. 1. dicitur, *Crescite, & multiplicamini* præceptum imponitur toti generi humano, sed ita, vt non obliget singulos.

13. Opponunt secundo: Christus Matthæi 25. dixit, *Bibite ex eo omnes*; ergo &c.

Respondetur præceptum illud impositum fuisse solis Apostolis, cum quibus tunc Christus loquebatur.

14. Opponunt tertio: Christus Lucæ 22. dixit, *hoc facite in meam commemorationem*; ergo præcepit sacerdotibus, vt facerent quod ipse fecit; sed ipse consecrauit sub vtraque specie, & dein tẽ sub vtraque dedit alijs; ergo præcepit sacerdotibus, vt consecrarent sub vtraque specie, ac sub vtraque darent omnibus fidelibus.

Respondetur Christum per ea verba præcepisse sacerdotibus, vt facerent quod ipse fecit circa consecrationem eucharistiæ, nimirum vt consecrarent sub vtraque specie, & vt sumerent sub vtraque, non autem vt omnibus darent sub vtraque.

15. Opponunt quarto: Paulus 1. ad cor. 11. dicit: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; sed hæc verba significant præceptum, & deinde addit, *& sic de pane illo edat, & de calice bibat*; ergo Paulus præcepit, vt fideles non solum comederent eucharistiam sub specie panis, sed etiam illam biberent sub specie vini.

Respondetur Apostolum perly tradidi non significare se tradidisse præceptum, sed doctrinam, vt pater. Nam sequitur immediate, *quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur &c.* Opponunt demum varia testimonia Patrum, & Conciliorum quorum solutio videri potest apud Vasquez disp. 216. cap. 6. Bellarminum, & alios.

De modo, quo Christus usus est eucharistia.

Q V Æ S T I O CLXXVI.

Vtrum Christus sumpserit suum corpus, & sanguinem?

S. Tb. quæst. 81. art. 1.

1. **R**espondet S. Thomas, quod licet quidam dixerint Christum in vltima cæna corpus, & sanguinem suum discipulis

tradidisse, sed non sumpisse, tamen hoc non dicitur conuenienter. Ratio est, quia Christus primus obseruauit ea, quæ ab alijs instituit obseruanda: ex. gr. prius ipse voluit baptizari, deinde instituit, vt alij baptizarentur; ideoque actorum 1. dicitur: *Cepit Iesus facere, & docere*; ergo prius ipse corpus, & sanguinem suum sumpsit, deinde discipulis dedit. Confirmat ex Glossa, quæ in Ruthen. super illa verba, *cumque comedisset, & bibisset* dicit Christus *comedat, & bibat in cæna, cum corpus, & sanguinem discipulis tradidit*: unde quæ pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipsi participauerunt eisdem. Confirmat rursus ex Hieronymo ad Lebam qu. 2. & refertur de consecr. dist. 2. cap. *Nec Moses, qui dicit: Dominus Iesus Christus ipse conuiuia, & conuiuium esse comedens, & comeditur.*

2. Opponit primo: in Euangelio non legitur, quod Christus eucharistiam sumpserit; ergo id non est asserendum. Respondet, quod legitur, & *accepit Iesus panem*: debet autem intelligi, quod ita accepit, sicut accipiendum dedit discipulis, non solis manibus, sed ita, vt comederint; ergo dicendum est, quod ita accepit, vt comederit: & confirmat ex quibusdam versibus.

3. Opponit secundo: ex Aristotele 4. physicorum, tex. 34. *nihil potest esse in se ipso, nisi ratione partium*, in quantum scilicet vna pars est in alia; sed quod manducatur, & bibitum est in manducante; ergo Christus non potuit manducare, & bibere se ipsum, cum totus sit sub qualibet specie.

Respondet, quod quia Christus in eucharistia non est in loco per se, & secundum proprias dimensiones, sed per accidens, & per dimensiones specierum, sicut species possunt esse in Christo, sic totus Christus per accidens ratione specierum potest esse in suis manibus, in suo ore &c. Vide dist. qu. 144.

4. Opponit tertio: Christus non sumpsit eucharistiam solum sacramentaliter, quia sumptio eucharistiæ solum sacramentalis est imperfecta, vt dictum est qu. 130. art. 1. necque sumpsit spiritualiter simul, & sacramentaliter, quia sumptio spiritualis consistit in hoc, quod quis recipiens eucharistiam, recipiat etiam fructum illius, hoc est augmentum gratiæ; sed Christus non recepit vllum augmentum gratiæ; ergo &c.

Respondet, quod ex dictis qu. 79. art. 1. ad 2. fructus eucharistiæ non solum est augmentum gratiæ, sed etiam quadam spiritualis dulcedo, & delectatio; sed Christus eucharistiam instituens, ac sumens, habuit quamdam nouam spiritualem delectationem de institutione huius sacramenti, ideoque Lucæ 22. dicebat, *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*, quod Eusebius exponit de nouo mysterio noui sacramenti; ergo &c.